Reyer, Ed

Aegypt. collect.

ad I 13713

[illegible]

# DISSERTATIO
## INAUGURALIS MEDICA
DE
# HYDROPE
## VENTRICULORUM CEREBRI ACUTO,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI

DOMINI

***PRAESIDIS ET DIRECTORIS,***

PERILLUSTRIS AC SPECTABILIS DOMINI

**DECANI,**

NEC NON

CLARISSIMORUM D. D. PROFESSORUM

PRO

**DOCTORIS MEDICINAE LAUREA**

RITE OBTINENDA

IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA

**UNIVERSITATE VIENNENSI**

PUBLICAE DISQUISITIONI

SUBMITTIT

**Eduardus Reyer,**

ex Austriae Metropoli.

In theses adnexas disputabitur in Universitatis palatio
die 22. mensis Junii 1839.

**VINDOBONAE.**

TYPIS CAROLI UEBERREUTER.

„Il faut toujours espérer ce qu'on desire, et travailler à ce, qu'on espère."

# Praefatio.

Antequam Laurea corona, virtutis praemio eximio, atque efficacissimo ad majora suscipienda stimulo, frontem meam ornatam sentirem, argumentum quoddam ex vasto Medicinae campo depromtum me pertractare et publicae disquisitioni submittere oportebat. Diu revera magnis versabar in dubiis, quale seligendum mihi foret thema, ut umbram saltem lectorum meorum attentionis captare possim; tandem atrocitas Hydrocephali acuti infantum ejusque tremenda frequentia me impulerunt, ut hoc pro dissertationis scopo argumentum selegissem. — Conspectae per biennium morbi formae non sufficiunt, ut his imbutus juvenis medicus promptum adferre valeat auxilium tenel-

lis, ejus curis indigentibus. Huic defectui meliorum, qui hancce materíam illustrant, auctorum lectione supplere studui. Fructus hujus laboris ecce nunc auctor tibi offert, benevole lector! Utinam aliquid utilitatis exinde haurire posses! Vale et fave!

## Morbi denominatio.

§. 1.

Hydrocephalus vi vocis est aquae (seri) collectio in partibus, caput constituentibus, contingens. Qui conceptus utpote amplior paucasque continens notas, quibus perfectior haberetur morbi idea, serius pro ratione loci, quo continebatur serum collectum, dispescebatur in Hydrocephalum externum, internum et mixtum. — Externus vocabatur collectio seri, spatium cranium inter et galeam aponeuroticam explens. Internus autem dicitur seri colluvies inter cranii cavum contenta. Mixtum adpellant effusiones serosas tum extra, tum intra cranium occurrentes, inter se communicantes. Subdivisionibus, locum respicientibus, continuatis internus Hydrocephalus ad mentem clarissimi P. Frank discedit in meningeum, liquido inter meninges stagnante, et Hydropem ventriculorum cerebri (Hydrocephalum acutum) liquido in cerebri ventriculis accumulato. Decursum vero spectantes, Hydrocephalum chronicum et acutum, prouti aut lentius aut citius incedat, statuunt. Et quoad originem nunc primaria meningum cerebri, cerebelli adfectio (Hydrocephalus idiopathicus), nunc alterius morbi effectus (Hydrocephalus symptomaticus), non sine differentia symptomatum conspicua, habetur.

§. 2.

Verum quidem est, hanc determinationem a Roberto Whytt acceptam, non ad omnia morbi, ad quem designandum adhibetur, stadia quadrare, ast reliquis propositis et adhibitis nominibus, aeque non perfectis, retinemus, quam auctoritas sancivit, nec non usus fre-

quens, nuncupationem. Est scilicet unum alterumve stadium morbi, in quo nulla adhucdum effusio serosa locum habet, et sunt alia, in quibus inflammationis signa conspiciuntur nulla; nihilominus integra haec denominatio (Hydrocephalus internus acutus) jam vi compositionis attentos nos reddit ad statum inflammatorium, in cerebro vigentem, ejusque nisum in effusiones serosas. Eadem autem non ita designantur, morbum dicendo febrim hydrocephalicam, nomine a Macbride proposito, nec nuncupando eum secundum Capuion febrim cerebralem; similia valent de nuperrime prolata denominatione; Meningitide hypocleptica.

## Morbi imago.

### §. 3.

Symptomatum in morbo quodam concurrentium cohors, in certum ordinem redacta, tum intellectum adjuvat, tum memoriam, hocque ipso cognitionem reddit faciliorem. Quare a longe plurimis auctoribus factum est, ut in enumerandis phoenomenis atrocis hujus morbi diversa sequerentur stadia. Qui ab his divisionibus, tamquam actu naturae non consentaneo abhorrent, perpendant velimus, descriptionem omnem, ex innumeris casibus observatis desumptam, coacervare symptomata ita, ut mentem medici praesertim junioris obruant, nisi puncta concedantur fixa, quibus innixus pro rerum positione comparare, reflectere valeat. Haec commoda majora sunt, quam ut stadia, quae indicari possunt, propterea negligamus, quia transitus ex uno in alterum in natura minus perceptibilis, descriptione dividente pro parte deletur.

### §. 4.

Sunt autem varia quoad numerum a diversis auctoribus accepta stadia. Numerantur duo, tria, quator; id quod tum a decursu morbi variante nec non anomalo,

tum a diversa auctorum de morbo sententia, tum a nisu eorumdem attentionem in praecipuas mutationes convertendi repetere oportet. Nos phoenomena hujus morbi stadiis complectemur tribus: prodromorum scilicet, inflammationis et exsudationis. —

§. 5.

Horum primum est stadium prodromorum (stadium turgescentiae Goelis). Signa hujus stadii, quorum plura et aliis morbis praecedere videmus, modo magis modo minus conspicua manifestantur. Pusilli consuetam amittunt hilaritatem et garrulitatem, erga res antea gratas fiunt insensiles, morosi, indifferentes, lente respondent, aegre incedunt et vacillant. Somnus redditur inquietus, pavoribus interruptus, interdum perpetuo soporantur, vel saltem transitoria tentantur vertigine, carebaria, sensuumque obnubilatione, cataphora, capite saepe saepius, quod sustentare nequeunt, antrorsum vel retrorsum cadente.

§. 6.

Stadium alterum est inflammatorium (stadium sensibilitatis P. Frank, stadium febrile Plenkii). Ingreditur morbus ipse citius ocyusve, phoenomenis plus minus conspicuis, cerebri inflammatorium turgorem aut veram phlogosim indicantibus. Infantes conqueruntur de doloribus capitis, praesertim ad frontem, de molesta cervicis tensione, caput automatice tentant, lucem aversantur, pupilla contracta, strepitum fortiorem expavescunt; frons tangitur justo calidior, sudatiunculis madida, cum velociori temporalium vibratione; facies nunc turget, nunc pallet, vel oedematose inflata cernitur; nares siccae pruriunt; suspiria, frequentia notabiles, angores indicant; summe inquieti miselli huc illuc jactantur; cibi et potus cupiditas exstinquitur; vomitus persaepe urget porraceus, qui tamen lenitur, dum su-

pini cubant capite demisso; non desunt exempla abdominis inflati, tenesmi, vel ischuriae spasticae, alvus tamen plerumque stricta ac difficulter movenda, faecibus, dum emittuntur, viscido muco intermixtis, urinae plerumque parcae ac turbidae esse solent, mox largam hypostasin albam, mox pelliculam micaceam separantes; in dies augentur pavores nocturni, somnus inquietissimus, suspiriis, gemitu, dentium stridore, tendinum subsultibus interruptus desideratam perturbat refectionem; cutis fit flaccida, sicca; exanthematis cujusdam circa labia et collum prorumpentis animadvertuntur vestigia, quod testante Formeyo in papulis exiguis, rubicundis, siccis, strophylum aemulantibus consistit; caloris in universo corpore augmentum, ast non constans; pulsus veloces, duri, contracti, non raro intermittentes; quandoque transitoria phrenesis, sopore interpolato; exacerbationes vespertinae solemnes.

§. 7.

Ultimum tandem nunc ingruens stadium transudatorium, (stadium torporis P. Frank) symptomata offert systematis nervosi, praeprimis cerebri supressi, et inde propululantis sensibilitatis imminutae, motus muscularis impediti, functionum tum animalium, tum naturalium languoris, sopor continuus, vel coma vigil cum desipientia miti, voce rauca, clangosa; capitis volumen plus minusve auctum; suspiria, ejulatus, lamenta, motus automatici, convulsiones, artuum tremor, tendinum saltus; fugax genarum rubor, halitus oris graveolens; pupilla laxa et dilatata, serius quoque ad lucem vividam immobilis; oculi lippi, turgidi, semiclausi, distorti, strabi; cophosis; anaestesia catholica; leucophlegmatia; oedema faciei et crurum; paralyses; lotii et alvi invitus secessus; pulsus tremuli, intermittentes; spiritus ducendi summa difficultas, stertor, sudores

viscidi, extremorum pallor, livor et algor, emaciatio; deliquia, mors tandem apoplectica vel convulsiva. —

§. 8.

Syndrome horum symptomatum tertium constituit stadium, quod nonnulli in illud transudationis et paralyseos distinguere volunt. Desunt tamen definiti limites, atque communis omnium malorum fons unice in effusione seri indeque nata cerebri compressione est quaerendus.

§. 9.

Quemadmodum pleraque symptomata in stadio primo et secundo manifestum patefaciunt incitationis augmentum in cerebro ejusque meningibus; ita tertiae periodi comites, oppressionem functionum sensorii communis, ab effuso extra alveos liquore, aperte demonstrant; quam quidem in primordiis adhuc quaedam signa irritationis sociant, tardius in astheniae ac verae paralyseos statum transituram.

## Differentiae.

§. 10.

Hydrops ventriculorum cerebri acutus confundi potest cum *Vermitione*, *cum Typho*, *cum Hydrocephalo interno chronico*, *cumque febri intermittente soporosa.*

*Signa, quibus Hydrocephalus acutus a Vermitione distinguitur:*

| | |
|---|---|
| *a*) Facies alienata, dolores exprimens. | *a*) Facies tumidula, cachectica, nil significans. |
| *b*) Oculi ab initio summe sensiles, serius visus debilitatus, tandem plane deletus. Pupilla nonnisi in ultimis stadiis di- | *b*) Oculi non adeo sensiles, visus alienatio nulla, pupilla continuo dilatata, bulbus convulsionibus vix umquam ten- |

| | |
|---|---|
| latata, bulbus in orbita convulsive circumvolutus, palpebrarum una alterave paralytica. | tatus, palpebrarum nulla paralytica. |
| *c*) Pruritus in naribus nullus, — nares siccae, olfactus ad morbi finem sublatus. | *c*) Pruritus narium continuus, — nares mucum secernentes continuum, — olfactus hinc illincve acrior. |
| *d*) Adpetentia ab initio ad finem usque deleta — vomitus sub corporis erectione, alvus segnis, parca — urinae parcae ab initio lacteae, turbidulae, serius profundius quidquam tinctae cum sedimento albo ponderoso. | *d*) Adpetentia viget, — vomitus ab erectione corporis nullus, — alvus etsi segnis, tamen copiosior, — urinae copiosae, non raro stramineae, aut parciores, turbidulae cum sedimento leviori. |
| *e*) Abdomen cito collabitur. | *e*) Abdomen plenum, expansum manet. |
| *f*) Cutis sicca, in decursu exanthemate notata. | *f*) Cutis facile sudans, exanthemate, symptomaticis milliaribus exceptis, destituta. |
| *g*) Ingressus titubans, motus automatici ad caput adfectum. | *g*) Ingressus lentus, sed certus, automatici motus nulli. |
| *h*) Pulsus ad finem morbi febriles, ab initio naturales, serius parum tardiores normalibus irregularesque. | *h*) Pulsus continuo irregulares, febriles. |
| *i*) Convulsiones in morbi fine accedunt, continuant, paralysi excipiuntur et morte terminantur. | *i*) Convulsiones, quae etiam in morbi initio adsunt, non continuant, paralysi non excipiuntur, et morte rarissime terminantur. |

Haec brevis symptomatum comparatio discrepantiam inter utrumque morbum intercedere docet, plenarie tamen convincetur medicus, qui in Diagnosi singuli cujusdam casus non uni soli symptomati fidem tribuens, omnium simul collectorum seriei innixus, firmam statuere diagnosim adlaborare conatur.

## §. 11.

*Signa, quibus morbus noster a Typho distinguitur* a clarissimo D^re^ G o e l i s docte et fuse exponuntur. *Ad sequentia possunt reduci:*

| | |
|---|---|
| *a*) Color atque adspectus sanus, absque nota causa deletus, repentina obnubilatio, vertigo capite celeriter moto, incessus incertus, titubans; dolores rheumatici praesertim ad nucham, somnus non reficiens, inquietus, murmurationibus, clamore subitaneo interruptus; adpetentia deleta; excretiones alvi et urinae segniores; animi indifferentia, aut idem secum solo occupatus; suspiria involuntaria. Sensibilitas oculi aucta, cutis siccitas, halitus aegrorum mutatus prodroma sistunt Hydrocephali acuti. | *a*) Typhum annunciant: temulentia, frons abnormiter calens, cum doloribus obtusis, aura frigida mitigandis alvique depositione, oppletio ventriculi, sudores repentini nocturni, horripilationes; pulsus naturales, magna delassatio, gravedo plumbea extremitatum; sensuum obstupefactio, responsa tarda. |
| *b*) Initium morbi utplurimum successivum, absque febrili iuvasione, et ubi haec adest, numquam absque adfectione spastica. | *b*) Initium morbi luculentum, invasiones febriles conspicuae. |
| *c*) Pulsus nonnisi ad morbi finem febriles, plerumque tamen irregulares per totum morbum. | *c*) Pulsus jam ab initio febriles, nonnisi sub adfecto capite vel abdomine irregulares. |
| *d*) Delirium nullum, quaerelae de doloribus quoad sedem assignatis. | *d*) Delirium continuum, querelae de doloribus nullae, imo non raro se optime habere adfirmant aegri. |
| *e*) Visus sensilitas major initiante morbo erga lucem, quae serius increscit; stadio secundo visus varia ratione alienatus, stadio tertio sublata | *e*) Ab initio sensibilitas oculi major, sed visus alienatio nulla, nec coecitas. |

| | |
|---|---|
| penitus objecta distinguendi facultas. | |
| *f*) Oxyecoia fere ad mortem usque perstans. | *f*) Baryecoia non raro jam sub initio morbi praesens ad surditatem usque augetur. |
| *g*) Lingua spurca, humida, non tremula, absque labore in ipso paralyseos stadio exserenda, dentes ac gingiva puri. | *g*) Lingua spurca, sicca, continuo tremens, vix, saepe plane non exserenda. Dentes ac gingivae obspurcatae muco tenui, bruneo. |
| *h*) Respiratio in primis stadiis saepius suspiriis interrupta, in ultimo stadio frequens evadit; halitus peculiariter foetet. | *h*) Respiratio difficilis, stertorosa, abdominalis, halitus nonnisi in gradu morbi altiori et ejusdem provectiori foetet. |
| *i*) Urinae parcae cum difficultate minguntur, ab initio turbidulae, nunc cum sedimento, nunc absque sedimento, in secundo stadio semper hypostasi gravi instructae. | *i*) Urinae quantitate et qualitate admodum variae, in stadio nervoso inscio aegro mittuntur. |
| *k*) Abdomen collapsum. | *k*) Abdomen utplurimum meteoristice inflatum. |
| *l*) Situs aegrorum ultimo stadio in latere plerumque paralytico; tremores brachiorum sub motu automatico eorumdem versus caput, aures naresque. | *l*) Situs neglectus, pedibus divaricatis denudatis, corpore ad has devoluto, tremores manuum cum tendinum subsultu et floccorum collectione. |
| *m*) Cutis fere ad finem usque sicca, dein sudore non olente madida, proprio exanthemate obsessa, calore numquam mordace, nec maculis gangraenosis decubituque destituitur. | *m*) Cutis saepius sudore symptomatico, male olente madida, proprio praedita exanthemate, mordaciter calet, maculis gangraenosis, anthracibus, decubituque destituitur. |
| *n*) Subjecta invadit juvenilia. | *n*) Subjecta praediligit juvenilia virilia. |

## §. 12.

### *Hydrocephalus internus acutus a chronico differt ratione sequenti:*

| | |
|---|---|
| *a*) Acutus in foetu numquam visus. | *a*) Chronicus saepe foetum jam et natu minores plectit. |
| *b*) Forma volumenque capitis non mutantur. | *b*) Caput quoad volumen adeo increscit, ut non raro monstruosum evadat. |
| *c*) Corpus cito emaciatur; abdomen, licet antea plenum et expansum, valde collabitur. | *c*) Corpus lente emaciatur, abdominis volumen vix imminutum, quin et auctum. |
| *d*) Aegri sedem et rationem doloris accusantes conqueruntur de dolore punctorio a vertice versus oculos vel tempora extenso; pronato capite pejus se habent. | *d*) Dolores, de quibus conqueruntur aegri, numquam fixi, sed vagi, et interdum pronato capite aut eodem suffulto levantur. |
| *e*) Plerumque in latere decumbunt, manu ejusdem lateris faciem inter et pulvinar interposita, alterius motu automatico detenta. | *e*) In latere decumbentes caput antrorsum flectunt, pedesque abdomini adtrahunt. |
| *f*) Urinae parcae, magis tinctae, cum sedimento jam saepius commemorato. | *f*) Urinae parcae, plerumque pallidae, absque sedimento. |
| *g*) Oculi initio sensiles, visus serius alienatus, tandem plane deletus. | *g*) Oculi non sensiles, visus jam ab initio debilior, quae debilitas cum paralysi musculorum horum organorum terminatur. |
| *h*) Os plerumque clausum, salivae excretio parcissima. | *h*) Os plurimum apertum, saliva copiosa. |
| *i*) Nec flatulentia, nec ructus observantur. | *i*) Nec halitus, nec materiae vomitu rejectae proprio distinguuntur foetore. |
| *k*) Morbus sub circumstantiis malignis infantis morte terminatur. **14.**, **17.**, **21.** ad summum | *k*) Morbus sub circumstantiis infaustis post menses, imo post annos, aut suffocatione, aut |

30. dic. paralysi unius alteriusve lateris praegressa.

apoplexia. aut febri tabifica terminatur: faustis autem sub circumstantiis tardissime convalescunt aegri.

## §. 13.

*Ut hydrocephalum internum acutum discernamus a febri intermittente soporosa*, attentum esse medicum Wichmann jubet ad decursum, qui in hac saltem ab initio intermissionem, et serius remissionem notabilem offert, ut aegri durante hac, sedere in lecto vel extra eundem versari possint, et melius se habere affirment, id, quod in illo numquam contingit. Praeterea et pulsuum habenda est ratio; nam si morbus febris est intermittens, certe pulsus frequentiores sunt normalibus sub ipso paroxysmo, nec adeo lenti sub ipsa apyrexia adesse solent in Hydrocephali acuti initio. — Ubi vivente aegro diagnosis firma non fuerit, nonnunquam post mortem sectione cadaveris clarior redditur, quin tamen concedamus, serum in ventriculis cerebri collectum testimonium ubique esse inconcussum Hydrocephali acuti praegressi.

# Cadaverum sectione reperta.

## §. 14.

Ubi aliquo certitudinis gradu assignaturi sumus, num parvuli, qui aquarum collectione mortui esse traduntur, revera collectiones serosas in cerebro manifestasse, cranium immediate post mortem aperiendum est. Hac ex causa in multis a Bonneto adductis casibus errores originem duxisse videntur, quod, quin nexum causalem agnoscat cum morbo antecedente, lymphae tanto plus accumulatur, quo diutius cadaveris sectio post mortem retardaretur. Imo et clarissimus Sauvages similem fecit observationem, et alicubi in suis operibus tali modo de hac nos certiores reddit idea: nil vulgatius, quam serum in sinubus cerebri reperiri, si

longo post mortem tempore aperiatur cadaver; quo longius, eo uberius invenietur serum. — Hac praecautione adhibita cadavera tenellorum, fatali ac perniciosa hacce clade peremptorum, conspicuam et notabilem copiam ad unam, duas, quatuor uncias et ultra seri limpidi, tenuis, flavicantis aut rubelli, interdum gelatinosi, puriformis, lactescentis offerunt, quam inter arachnoideam et duram matrem, maxime autem in ventriculis et maeandris cerebri collectam videre licet; vasa arachnoideae ac piae meningis sanguine turgida, praegressae phlogoseos indicia praebent; medulla cerebralis mollior, friabilis, atque suturae ossium cranii hiantes observari solent; nonnunquam tantum unum cerebri ventriculum sero valde dilatatum ac repletum, alterum vacuum observatur.

## Morbi causae.

### §. 15.

Momenta causalia, hoc est: talia, quae ad morbum ipsum producendum symbolam conferunt, a patholigis ut in morbo quovis alio ad

*A. Disponentia* referuntur et

*B. ad Excitantia.*

*A.* Ad hydrocephalum acutum infantes prae juvenibus virisque dispositi inveniuntur; ratio hujus phoenomeni sine dubio in ipso organismo infantili latet, nam observatio docet, justo eo tempore, quo omnes sensus cerebrales acuuntur, perficiuntur, quo functiones animae in conspectum prodire inchoant, quo itaque non solum variae repraesentationes, sed et sensiones tum excitantes, tum deprimentes, nec non conamina varia emergunt; quo porro maxime adjacentia organa masticationis et loquelae magis evolvuntur, plurimos hoc corripi morbo; ad haec et alia accedit observatio, infantes ingeniosos, sagaces, vivaces frequentius huic morbo esse obnoxios, quam illos indolis oppositae; praeter hanc in ipso processu vitali organismi infantilis radicatam dispo-

sitionem experientia et aliam docuit, a momentis extra hunc quidem processum sitis, verum valide in illum influentibus, dependentem. Sic notum est, dari familias, in quibus membra juniora fere omnia diro hoc morbo laborantia deprehenduntur, quum e contra iisdem sub circumstantiis atmospherae etc. in aliis similia non accidant. Sex ejusdem familiae proles, narrat celeberrimus P. Frank, sagacissimus iste morborum infantilium scriptor, hocce morbo secundo aetatis anno trucidatas fuisse. Nec mihi tristem hancce observationem faciendi occasio defuit. Non raro proles parentum scrophulosorum, spirituosis abutentium, sequelas peccatis horum inductas immerito perferunt, Hydrocephalo acuto maturius vitae deliciis ereptae; innotuit quoque, terrorem et anxietatem ultimis praecipue graviditatis mensibus, matres affligentes morbo huic evolvendo faventia sistere momenta proaegumena. — Inducitur haec dispositio injuriis quoque capiti sub partu difficiliori illatis, malis chronicis viscerum abdominalium, inprimis hepatis, lienis, glandularum mesaraicarum. — Invitant porro: praegressus hydrops anasarca, abdominalis, thoracica; febres hecticae ex vitio organico alicujus visceris natae, scrophulae, morbus verminosus, omnia generatim, quae lympham superabundantem excerni impediunt; achores, crusta lactea repentine supressa; morbi exanthematici febriles; nimia intentio facultatum intellectualium tenellorum in rebus addiscendis literariis; saepius repetita animi pathemata, uti: terror, metus, anxietas, ira, hydrocephalus internus chronicus, respiratio per tussim convulsivam cohibita, strictiora corporis involucra, vestes angustiores. —

## §. 16.

*B.* Diversissima sunt momenta occasionalia, quibus hydrocephalus internus acutus excitatur; huc pertinent:

*a)* Injuriae capiti illatae mechanicae cum effectibus suis dynamicis, uti sunt: concussiones vehementes cerebri, lapsu, casu, ictu, saltu productae.

*b)* Torrens sanguinis ad caput invitatus, quod fit sub puerorum natu majorum lusu, utpote qui libenter corpus proprium super planum inclinatum devolvunt; capiti diutius insistunt, aut corpus pedibus suspendunt.

*c)* Abusus nutrimentorum stimulantium, ciborum calefacientium, potuum spirituosorum, remediorum narcoticorum, uti: Opii, Belladonnae, Cicutae etc., quae a celeb. Goelis ad hanc de Belladonna prolatam sententiam adducuntur citata et exempla, non adeo firmum quidem dubitanti sunt argumentum, quum aegri pertussi laborent, ast nihilominus quilibet, qui egregiam de actione narcoticorum theoriam celeb. Prof. C. P. Hartmann noscit, concedet data dispositione provocari posse stadia priora Hydrocephali interni acuti. —

*d)* Refrigerium, celeb. P. Frank affirmante, ea ex ratione a parentibus tenellorum corpori admissum, dum delicatiores infantes, quos ita robustiores fieri contendunt, nudo capite incedentes, flanti Boreae exponant, frequentius ex causa potius rheumatica hydropem cerebri progenerare posse, vix dubio subjacet. —

*e)* Haud fertiliorem hujus morbi campum exserunt exanthemata et impetigines infauste retrogressi, aut incaute retropressi, nec non propagatio inflammationis partium adjacentium; quare morbilli, variolae, urticaria, milliaria, scarlatina, erysipelas, inflammationes oculorum, narium, faucium hoc respectu adcusantur; non desunt, qui et a viscerum abdominalium inflammatione morbum praesentem exordia merito nonnunquam capere contendant. — Historiae morborum non paucae testantur, ex imprudenter consolidatis ulceribus, justo citiore exsiccatione crustae lacteae, achorum, herpeticarum exsudationum ex intempestive cohibita alvo laxiori morbum, de quo tractamus, originem depromsisse.

Inde quoque derivandum videtur, eo plura subjecta hydrocephalo acuto infestari, quo minor eorum numerus, qui capitis impetiginibus adficiuntur. — Professor Henke asserit, dubio nulli subjectum esse, infantem eousque hydrocephalo acuto interno non correptum iri, quousque aut humectantibus impetiginibus capitis, aut alio quocunque fluxu ex auribus etc. laboraverit, quae, experientia teste, sententia ita sancita est, ut Galliae medici achores artificialiter provocare tentaverint, et inde sanationem Hydrocephali acuti exspectarent.

*f)* Efficaciam studiorum, a parentibus vanis imprudentibus, prolibus impositorum in producendo hydrocephalo acuto plane negare non audemus; verum fatendum est, studia nimia puerorum, si umquam, certe rarissime ansam dare ad morbum huncce provocandum, maturandum; nam in animo infantili admodum versatili antidotum habetur attentionis nimiae diutiusque protractae; praeterea passiones in hac aetate adhucdum silent, nec ipsa honoris tanta est cupido, ut pueros incenderet, continuo meditationibus immersos noctes insomnes transigere; constat denique puerorum studia pro maxima parte memoriae functionibus absolvi, quae omnino huic aetati magis conveniunt; ut itaque hisce omnibus rite ponderatis perquam rara erint hydrocephali acuti interni, studiorum nimio fervore contracti, exempla. —

## De morbi natura.

### §. 17.

Magna semper inter Medicinam profitentes lis erat circa hujus perquam insidiosi morbi naturam. — Fuere, qui morbum ex systematis lymphatici turbis ortum defendissent: vix negandum certe est, tales turbas morbi hujus evolutioni nonnunquam praecedere, ast hoc assertum adeo amplum est, ut character inde morbi plane non pateat, ut potius ad perversam et infaustam inducat medendi rationem, nam momenta, pro tractando morbo

essentialia: character scilicet sthenicus vel asthenicus minime respiciuntur. — Fuere alii, quos inter et Wichmann referendus, qui nervosum morbi profiterentur characterem.

Wichmann sequenti ratiocinatur modo: „Licet „morbi initiantis symptomata statum in cerebro phlogisti„cum designare videantur, pulsus tamen multo tardiores „sunt, quam ut inflammatio possit supponi, si praeterea „assumtio status phlogistici veritati foret consentanea, „delirium potius, quam sopor, observandum esset; clamor „vehemens, sub inflammatione inchoante, ubi maxime „dolorifica est, non autem post aliquot dies ederetur; „deberent plura adferri exempla, quibus demonstraretur, „serum limpidum secretum apertae inflammationis ter„minatae esse productum; ipse salutaris, quem Rusch „et pauci alii per methodum antiphlogisticam obtinuere „effectus, non pro argumento valet, quum hirudines aliis „morbis non inflammatoriis desideratum effectum saluta„rem adtulissent." — Quantum veri, quantum falsi huic insit sententiae, videbimus, illam perlustrantes opinionem, quae statum phlogisticum gradus diversi supponit in explicandis phoenomenis hydrocephali acuti interni. Non est, quod putemus, serosam effusionem sive in textum cellulosum, sive in aliquod corporis cavum factam adeo repugnare statui phlogistico, ut cum hoc conjuncta cogitari nequeat, nam vidimus hydropes anasarca, ascites, phlebotomia sanari; non adeo rari sunt casus, in quibus inflammationes membranarum serosarum seri effusione in cavum, quod circumdant, terminantur.

Statum vero phlogisticum revera subesse, indigitant:

1) Ea, quae dispositionem efficiunt et inducunt; evolutio enim cerebri organica partiumque adjacentium, basim materialem sensuum constituentium, dentium formatio, organi loquelae incrementum, animus vigilans, et evigilati per tot ob-

jecta nova agitatio non possunt non invitare sanguinis ad has partes adfluxum, quum processus vitalis alacrior novis partibus struendis intentus cogitari non queat absque copiosiori adpellente vitae unda: quae autem licet oculis comprehendi non possint, tamen non ficta esse, luculenter demonstrant phoenomena dentitionis, qua contingente, genae magis rubent, calent, turgent, gingivae, nec non partes adjacentes dolent: dilucidant impetigines hac sub periodo frequentius in capite efflorescentes, quibus superflua humorum advectorum copia pro parte extra limites organismi in hujus salutem non raro excernitur. —

2) Symptomata priorum stadiorum: nam caput obrutum, ipsius gravedo, temulentia sub motu repentino, nec non animi conditio mutata congestionem sanguinis ad hoc organon majorem eminenter manifestant. Comprobant

3) Methodi ad morbum sanandum adhibitae effectus. Unica enim, quae fausto cum successu huic morbo incipienti opponi potest, est antiphlogistica, refrigerans, emolliens, antagonistice derivans: denique confirmatur.

4) Autopsia cadaverum. Ossicula distenta, venae et sinus turgidi, cerebrum magis compactum, quale in iis praecipue inventum est, qui citius morbo succubuere; exsudata lympha coagulataque, seri copia tandem nonnunquam notabilis. —

## §. 18.

Defendentes autem, statum subesse phlogisticum, non ideo jam inflammationem ipsam formatam supponamus necesse est; sufficit, secundum nostrum de hac materia conceptum, status subinflammatorius, ad imaginem phoenomenorum, hydrocephalum acutum constituentium, componendum. Nam hunc concomitantur:

largior sanguinis ad partem, in qua locum habet adfluxus, temperatura adaucta, rubor et turgor (si partes sunt externae). Cum igitur evictum sit, in parvulis nisum plasticum ad evolutiones physiologicas imprimis encephali perficiendas praevalere, congestionesque normales ad dentitionem absolvendam animadverti, momenta disponentia eo adnituntur, ut erethismum sphaerae cerebralis intendant, robur contra imminuant, atque majorem humorum copiam versus caput alliciant; omnes igitur conditiones ad sanguinis undam in superiori corporis parte alliciendam conspirant, causae procatarcticae nunc systema vasorum capillarium in meningibus et praesertim in arachnoidea ad vividiores incitant reactiones, nunc simplicem irritationem subinflammatoriam, nunc veram procreando phlogosim, quae tam ex parte substrati, quam ex parte praedispositionis nisum eminentem manifestant in transudationem serosam, talique ratione hydropis acuti et secundarii ponunt originem. —

Morbum hunc nostris temporibus esse frequentiorem, omnes fere practici consentiunt; quod phoenomenon modo ex frequentiori scrophula, modo ex rarioribus achoribus, tinea etc., modo ex consuetudine, infantum capita absque integumentis temperaturae vicissitudinibus exponere, repetere conantur. Praeterea exactior morbi hujus, toties cum aliis prius conjecti, cognitio, majorem ejus nostro aevo frequentiam abundo declarat. —

## Prognosis.

### §. 19.

Tristis semper et anceps statuenda prognosis, id quod medicorum veterani et juniores sincere fatentur. Sic Aëtius hydrocephalum acutum internum lethalem absolute opinatur; Ebn Sina vero et Hally Abbas ipsum credunt insanabilem, quam sententiam et

Fabricius de Hilden aliique participant. Boerhave contra, illum tantummodo hydrocephalum acutum sanationi non cessaturum defendit, qui ab humoribus in cavitatibus cerebri collectis originem traxerit. Junker, van Swieten pluresque alii sanabilitatem non contendunt, ubi recenter natus, cum exigua effusione incedat. Ex supra adlatarum sententiarum diversitate abunde jam patet, qualis farrago opinionum a primis jam temporibus circa hunc morbum deplorabilem dominaretur. Sequentia incirca statui possunt morbi indovinationem et durationem spectantia. —

Moriuntur aegri die 8. plerumque inter 14. et 17. Rarioribus in casibus morbus excurrit ad 24. et 30. diem; prouti aegri plus minus sensibiles sunt, prouti irritatio ad altiorem adscendit gradum, vel in inferiori substituerat, mors citius aut tardius insequitur: quo certe contribuunt gradus, quo momenta causalia in aegrum egerunt, diversus; methodus medendi adhibita: tempus et intensitas auxilii medici: quo maturius medela congrua administratur, eo plus salutis erit sperandum, effusione autem jam facta vix ullus salvatur aegrorum. —

Si in primis duobus stadiis therapiae adplicationem plenaria sequitur symptomatum hydrocephali acuti remissio - cessatio, — si eadem phoenomena tertio morbi die non recurrunt, sanitatem recuperaturam esse, spes nobis affulget: si vero diebus sequentibus pulsus denuo irregulares fiunt, si dolere caput conqueritur, morti non obex ponendus, inter diem 14. et 17. irruenti. — Verum caveat medicus, ne symptomatibus quibusdam, levamen indicantibus, seductus laetiorem statim prognosin instituat; proh dolor! post unum alterumve diem pristina redit scena, cui mors finem imponit. Quodsi cum imminutione symptomatum omnium in his primis stadiis non simul sudor vaporosus cum

somno reficiente compareat, perque horas aliquot perduret, emendationi non est fidendum, his autem sese adsociantibus optima quoque sperare, etiamsi non semper promittere licet. —

## Therapia.

### §. 20.

Ad rationalem tutamque hydrocephali acuti medelam instituendam causae producentis notio erit necessaria, ut causa, si fuerit nota et amovenda, amoveatur, in casu opposito saltem ad modum originis ac primitivae conditionis pathologicae sedem attentio dirigenda, ut illis, quae cura indirecte rationalis jubet, indicationibus satisfiat.

### §. 21.

Raro quidem est perstare adhuc potentiae morbificae actionem, quodsi autem contingeret, eam semovere aut saltem infringere, adnitatur medicus. Ubi potentiae externae accusandae sunt, regimine congruo ordinato amovebimus eas, simulque omnia, quae morbum generatum alere valerent. In organismo autem hospitantibus causis methodo indicata occurrendum. Sic exanthemata intempestive retropulsa in cutem revocanda; secretiones habituales suppressae restituendae aut artificialibus supplendae; functio cutis laesa excitanda, retardatus in systemate venae portarum circulus accelerandus; actio tubi intestinalis segnioris promovenda; turbae a nidulantibus, in primarum viarum tractu, vermibus compescendae etc. Quando justo major virium mentalium intensio, studia protracta, animi pathemata excitantia ansam dedissent ad morbum, de quo loquimur, provocandum, animo quies concedenda, medidationesque omittendae forent.

## §. 22.

Quum morbi natura in primis duobus stadiis characterem prae se ferat inflammatorium, regimen strictissime observandum, antiphlogisticum sit, oportet, pacans, refrigerans emolliens. Adparatus sic dictus antiphlogisticus huic indicationi omni ex pagina quadrabit, quo vires exorbitantes deprimuntur, orgasmus refrenatur, haemato-dyscrasia phlogistica componitur, encephalo-symphoresis placatur, circuitus per vasa capillaria expeditur, colatoria omnia aperta tenentur, ut natura medicatrix ad tollendas in organismo turbas symbolam suam conferre valeat.

## §. 23.

Huic scopo respondent per sanguinem evacuantia, emollientia, eccoprotica, derivantia, potus diluentes, refrigerantes; antiphlogistica stricte sic dicta, fomenta frigida Schmuckeriana, clysteres aperitivi, epispastica et acria pediluvia: laudatur et stillicidium aquae frigidae super caput abrasum; celebrantur porro mercurialia et dig'talis, ut in stadio astheniae flores arnicae, remediis nervinis et stimulantibus nuptae, maxime in usum trahuntur.

## §. 24.

Venaesectio pro illis servanda est casibus, in quibus cerebrum a majori sanguinis copia inter brevissimum tempus liberandum est. Juvat similibus sub circumstantiis largiorem ad uncias sex vel octo institutam praeferre parcioribus repetitis; aetas in se spectata non offert momentum contraindicans venaesectionem, verum quum in tenellis admodum difficile sit venam tundere, quum hirudinibus commode in iisdem suppleri possit, quumque in stadio prodromorum fere semper, et in gradibus laevioribus ipsius jam praesentis inflammatio-

nis sufficiant, infantibus infra septimum et octavum annum venam vix umquam secare fas est. —

Repetitio evacuationis sanguinis determinatur per conditionem pulsuum, et quum admodum fallax in parvulis sit eorundem aestimatio, potius per recentem phoenomenorum morbosorum exasperationem. —

Quantitas sanguinis detrahendi dependet ab aetate, constitutione, genio epidemico, a morbi origine, pulsuum conditione, et symptomatum cephalicorum qualitate. Regulae hoc respectu tradendae apodicticae non sunt, neque exactam casus individualis dijudicationem, et inde emanantem quantitatis determinationem superfluam reddunt. —

Quo juniora individua, eo parcior quantitas, quo magis nutrita, vegeta, succulenta, eo magis larga sit oportet. — In infantibus debilioribus, tenerioribus ab uno ad sextum usque mensem, febri modica, topica insuper affectione magis perstante, de hirudinibus ad collum, retro aures, ad tempora vel ad emissaria Santorini adplicitis plus erit exspectandum, quam de haemato-missione universali; sic etiam hirudines tempore encephalo - symphoreseos citissimam et radicalem nonnumquam praestant sanationem, vulnusque ab iisdem inflictum, aqua tepida fotum, apertum teneatur per aliquot horas. — Generatim ne, debilitatem inducendi metu ductus medicus, parcat parvulorum sanguini! in mora periculum vitae inclusum; — perpendat, quaetimus, nullum morbum tam cito tendere in effusiones serosas, quam praesentem. —

## §. 25.

Inter remedia derivantia, hoc in morbo summis haud immerito encomiis celebrata, numerantur Hydrargyri praeparata nonnulla et quidem mitiora, uti: Murias Hydrargyri mitis, mercurius solubilis H a h n e m a n n i, et pro frictionibus unguentum mercuriale; si

nempe viscerum abdominalium functione secretoria antagonistice in diminuendam humorum ad encephalon congestorum massam agere, ibique vigentem irritationem infringere, si resorptionem insimul in systemate lymphatico intendere volumus, contra morbum praestamus, quae optima, quaeque indicatissima sunt; quibus virtutibus prae reliquis Calomel palmam eripit, dosi enim congrua et tubum intestinalem excitat, et secretionem in eodem provocat, resorptionis actum simul intendendo. —

## §. 26.

Dosis hydrargyri mitis pariter variat pro aegrotantis aetate, constitutione, receptivitate, ipsiusque morbi gradu differente: sic praescribitur Calomel pro tenellis infra annum natis ad quartam grani partem, omni secunda hora repetendam: infantulis contra ultra annum adultis omni bihorio etiam granum integrum propinari potest: talique pacto grana octo ad decem usque consumuntur in nycthemero, et sic cum his Calomelanos pulveribus eousque continuatur, donec per viginti quatuor horas, quinque ad sex alvi dejectiones mucosae viridisque indolis insequutae fuerint, in quorum subministratione per sex aut octo dies insistitur, ut tali ratione absorptionis promotio efficacior evadat. Tubo intestinali languente, enematibusque alvum non sollicitantibus, singulis Calomelanos dosibus ad effectum eorum acuendum granulum pulveris radicis Jalappae adjicitur. Sunt, qui tostam praeferunt, observatione casta, vomitum nonnumquam et intestinorum tormina, minime desiderata insequi, animadvertentes. —

Quodsi medicamen, quamvis tostum, tormina proliceret alvique fluxum frequentiorem, ab eodem abstinendum erit per aliquot temporis spatium, cujus loco cum euphoria mixtura aliqua oleosa interpollatur.

Sub Calomelanos usu ab acidis cujuscumque indolis ob hujus faciliorem decompositionem abstinendum esse, vix memoratu opus censemus, nauseosae repetitionis inimici. —

§. 27.

Nec exiguam in tractando hydrocephalo acuto famam digitalis purpurea sibi promeruit, iis scilicet in casibus indicatissima, in quibus post adplicationem mercurii dulcis symptomata cephalica quidem remittunt, excretio autem urinalis parcior perstat, et arteriarum irritabilitas eodem continuat tenore, celeriori pulsuum et frequentiori ictu cognoscenda. — Exhibetur cum radicibus mucilaginosis sub forma decocto-infusi, idque non raro aptius, quum Calomelanos subministratio hinc inde ob ptyalismum validum ingruentem suspendenda sit, ubi Digitalis adhucdum conceditur usus. Dosis ab octava, quarta grani parte ad integrum adscendit, ter quaterve de die repetenda.

§. 28.

Remedia externa, quae valde celebrantur, sunt: epithemata frigida, superfusiones frigidae, pediluvia, balnea universalia, vesicantia, sinapismi, inunctiones mercuriales et antimoniales, nec non clysmata. — De singulis horum remediorum speciatim nunc sumus tractaturi. —

§. 29.

Epithemata glacialia in morbis cerebri inflammatoriis multum laudis sibi promeruere. Indicantur, ubi morbi vis jam sanguinis detractione et Calomelanos usu fracta cernitur. Linteamina quadruplicia frigida aqua humectata, vel aptius adhuc, ob aequalem et continuum frigoris gradum, vesica nive aut glacie contusa

non penitus repleta capiti, capillis prius abrasis, imponuntur, corpore reliquo moderate obtecto. —

## §. 30.

Superfusiones frigidae, ubi easdem adplicare licet, secundum clar. Formey sequentibus regulis conformes instituantur: Infans, cui capilli abscissi sint, cujusque cervix et humeri cerato obducantur linteamine, ex lecto levandus et capite suffulto tenendus est. Alius ex modica altitudine filum aquaeum frigidum in frontem et caput infantis eousque demittit, donec e statu prius soporoso sui compos fiat, quo facto operationi per dimidiam horam circiter finis imponitur: dolorifica haec superfusio per plurium dierum seriem diu noctuque iteranda est, ut effectus obtineatur benignus, nam continuata tantummodo ac solerti hujus remedii subminstratione fausti quidquam sperandum. —

## §. 31.

Pediluvia tepida, sale culinari aut cineribus, aut farina seminum sinapeos confecta, uti et cataplasmata ex farina secalina aqua, aceto et sale culinari composita, pedum plantis vel eorum dorso adplicata, ex eo summae sunt utilitatis, quia humores a cerebro derivant, effectumque reliquorum remediorum salutarem adjuvant: cataplasmata cum epithematibus frigidis simul in usum trahuntur, et irritando derivandoque cataplasmata id absolute efficiunt, quod epithemata frigida negative praestant; cataplasmata haec irritantia omni jure a practicis pediluviis praeferuntur, ob faciliorem adplicationem, quietudinem parvulorum admodum exoptatam minime infestantia. —

## §. 32.

Balnea universalia, semicupia raro profuisse visa sunt, vitae turgorem in toto corpore hinc et in capite

adaugentia, anxietatem sudoresque nimias excitantia: exceptis fors casibus levioribus, aut multum decrescente morbo cum cute arida, aut spasmis simul, convulsionibus, tetano prasentibus, merito negliguntur. —

§. 33.

Vesicantia et sinapismi nuchae, brachiis, aut suris adplicata aeque fortiorem a capite efficiunt derivationem. Indicantur in morbo graviori et leviori, ubi adgrediendo nervos periphericos spasmos solvunt, cutisque functionem restituunt. Sed capiti adponere vesicans eo minus cònsultum videtur, quo magis ex adeo irritante remedio, vix fracta per venaesectionem morbi vi, exasperatio mali timenda esset. —

§. 34.

Inunctiones cum unguento Autenriethi, tum propter tardiorem efficaciam, tum propter languentem, ex diuturniori adhibitione, adpetentiam, nec ad morbum sanandum, nec ad praevertendam evolutionem commendantur. Inunctiones vero mercuriales a plurimis instituuntur; inungitur unguentum neapolitanum collo, regioni inguinali, cruribus. Alii medici, quos inter Angli praecipue calomelanos inunctionem in capite, collo, cervice, dorso, gingivis instituendam suadent; his inunctionibus mercurialibus sanationem adjuvari, contendere quidem non audemus, ast inconcussam profitemur veritatem, his inunctionibus minime internum Calomelanos usum suppleri posse, quoniam justo lentius efficaciam exserunt expostulatam. Quantitas unguenti mercurialis per nychthemerum consumenda unciae uni aequiparari potest, quare omni sexto quadrante drachma semis inungenda est.

§. 35.

Clysmata evacuantia ex aqua tepida cum sale vel

saccharo parata, intestinum evacuando et irritando sanationem pariter promovent. —

## §. 36.

Therapia hac rite instituta casibus felicioribus transgressus morbi in ultimum stadium praepeditur, et sublatis symptomatibus status irritativi convalescentia intrat. Debilitas major cum vario sensibilitatis alienatae gradu peculiare nunc sibi exposcit tractamen. Pueri ante morbum vegeti, succipleni morbo feliciter exantlato roborantibus vix indigent remediis. Sufficit talibus individuis victus eupeptus et reliquum regimen adaequatum; conducunt cibi leviores, non conditi, parciori quantitate summendi; aër purus, siccus, minus calidus, motus corporis modici, generatim evitatio omnium momentorum, quae supra inter morbum praesentem excitantia designavimus. —

## §. 37.

In casu autem opposito viribus, per therapiam antiphlogisticam praecedentem in reconvalescentia admodum prostratis, succurrendum est remediis roborantibus, leniter incitantibus, junctim propinatis. Hocce respectu commendari merentur: cortex peruvianus, valeriana, arnica, camphora, castoreum, moschus etc. —

Cortex in decocto cum lacte porrectus residuam in systemate musculari debilitatem optime tollit; drachma una pro colatura unciarum duarum sufficiet, si convalescentes aliquot menses aut annum unum transegerint; major requireretur dosis, si natu majores sunt.—

Tussicula sicca vexatis convenit connubium corticis cum radice salep.

Ubi debilitas vitalis cum spasticis affectionibus incedit, conjungitur China cum valeriana, quod medicamen Castorei pauxillo aut Moscho acuitur adjecto.

Moschus indicatur, ubi tendinum lusus; Camphora, ubi cutis sicca cum pulsu debiliori adsociatur. —

Excedens adhuc arteriarum irritabilitas domatur Digitali purpurea. —

Torporem systematis nervosi auferunt flores Arnicae montanae.

Diarrhoeae continuanti opponitur radix Arnicae. —

§. 38.

Opiatis nullus conceditur locus, contra vero vino eximio vetusto parva dosi sorbillando. — Remedia spirituosa, uti: spiritus cornu cervi succinatus, spiritus nitri dulcis, aetheres ad guttas decem adjici possunt medicaminibus supra adlatis. —

Medicus convalescentis debilitati consulens nunquam immemor esto magnae morbi pronitatis in recidivam, caveat hinc ab usu roborantium et incitantium, ubi ulla moveri possit suspicio non penitus exstinctae irritationis.

§. 39.

Infausta rerum positione morbus continuo in pejus ruït, et ex stadio inflammationis in illud transudationis abit; quum autem inter utrumque stadium limites densa adhuc obfuscentur caligine, consultum erit, eousque continuare therapiam hucusque adhibitam antiphlogisticam, donec symptomatum series effusionem factam clare annunciat. Effusione facta altera exsurgit indicatio: ulteriorem scilicet praepediendi, serum effusum eliminandi, mortem denique, si inevitabilis, leniendi.

§. 40.

Ut primae parti hujus indicationis satisfiat, opus erit humores alibi allicere, proinde colatoria omnia aperta tenere; methodus derivans, prioribus jam in stadiis commendata, huic quoque scopo attingendo adridet.

## §. 41.

Ad alteram indicationis paginam absolvendam jam divus Hippocrates evacuationem seri collecti per operationem chirurgicam proposuit: „aqua, ter magnus ait senex, si in cerebro suborta fuerit, ita tamen, ut in adulto secus sano contingat, adhibitis medicamentis, si non sanatur, caput ad cerebrum ipsum perforandum esset". — Serius alii eandem perforationem laudibus extollunt, alii dubiam vocant, alii uti vesaniae actum penitus respuunt. Omnem quidem spem abjicere non possumus; fore, ut morbo exactius cognito, experimentis circa hoc objectum institutis frequentioribus, sedula medicorum observatio et meditatio momenta eruat, quae doceant, sub quibus circumstantiis et cum quibus auxiliis ab hac methodo faustas sperare liceat sequelas. —

## §. 42.

Si autem omnibus remediis adhibitis mors inevitabilis averti nequit, vulnera a vesicantibus inflicta sanentur, exceptis illis, quae in suris habentur, quum frequens deligatio eorum, quae in nucha brachioque sunt, dolores ciet; mitigentur convulsiones balneis simplicibus; inter medicamina tandem interna Digitalis sola, testante in hac re versatissimo D[re] Goelis, merito laudatur qua talis, quae et convulsiones et spasmos, quantum possibile, solvat mortemque minus reddat doloribus mulctatam. —

## Auctores praecipui

### *de Hydrocephalo ventriculorum cerebri tractantes:*


Armstrong Georg, über die gewöhnlichsten Kinderkrankheiten. Aus dem Engl. von D. Jac. Christ. Gottl. Schäffer. Regensburg 1786.

Baader, Fr. K., Geschichte der Wassersucht der Gehirnhöhlen. Frankf. u. Leipz. 1794.

Bricheteau, Traité theorique et pratique de l' Hydrocephale aigue ou fièvre cerebral des enfans. Paris 1829.

Charpantier, de la nature et du traitement de la maladie, dite Hydrocephale aigue (meningo - cephalite des enfans). Paris 1829.

Cheyne, Essay on the hydrocephalus acutus. Edinb. 1809.

Coindet, Mémoire sur l' hydrocephale, on cephalite interne hydrencephalique. Paris et Genève 1817.

Fleisch, Handbuch von Kinderkrankheiten.

Formey, von der Wassersucht der Gehirnhöhlen. Berl. 1810.

Frank, J. P., De curandis hominum morbis.

Gaudel, Dissertatio de Hydrocephalo. Götting. 1763.

Girtanner, Abhandl. über die Krankheiten der Kinder. Berlin 1794.

Goelis, Abhandlungen über d. vorzüglichsten Krankheiten des Kindes. 1. Bd. Wien 1815. Von der hitzigen Gehirnhöhlenwassersucht.

Heinecken, über die Gehirnhöhlenwassersucht in Hufeland's und Himl. Journal. Jahrg. 1811. März. S. 3.

Hildenbrand v., Institutiones medico - practicae etc.

Hopfengärtner, Untersuchungen über die Gehirnhöhlenwassersucht. Stuttgardt 1802.

Kreysing, diss. de hydrocephali inflammatorii pathologia. Vitenb. 1800.

Lodemann, J. G., Dissertatio de hydrope cerebri. 1792.

Löbelstein-Löbel, Erkenntniss und Heilung der Gehirnentzündung des innern Wasserkopfes etc. Leipz. 1813.

Ludwig, Dissertatio de hydrope cerebri puerorum. Lips. 1774.

Monro, Alex., über den innern Wasserkopf und Wassersucht der Gehirnhöhlen. Edinb. 1794.

Odier, Mémoire de la société royal de médecine. 1779. p. 204.

Odely, Dissert. de hydrope acuto. Edinb. 1791.

Plenk, doctr. de morbis inf.

Portenschlag, von den Wasserkopf; ein Beitrag zur Monographie dieser Krankheit. Wien 1812.

Quin, Treatise on the dropsy of the brain. Lond. 1790. Aus d. Engl. von Michaelis. Leipz. 1792.

Raimann v., Nosologia et therapia specialis.

Ruch's Bemerkungen über die Ursachen und die Heilart des innern Wasserkopfes und der Wassersucht der Gehirnhöhlen, in der Sammlung für prakt. Aerzte. Bd. 17. S. 487 in hoc opere plura huc spectantia inveniuntur.

Schombard, de hydrope ventriculorum cerebri. Duisb. 1799.

Silbergundi, über den hydrocephalus acutus internus, in diagnostischer, ätiologischer und therapeutischer Hinsicht. (In Hufeland's Journal der prakt. Heilkunde. 1829. Sept.)

Syl, select. opusc. argum. med. pract. VI.

Wenzel, I. und K., Bemerkungen über die Gehirnwassersucht. 1806.

Wichmann's Ideen zur Diagnostik. 3. Bd. S. 28.

Wytt, Rob., Observations on the dropsy of the braim. Edinb. 1768.

Yeat's, Darstellung der frühesten Symptome d. Hirnwassersucht, aus dem Engl. v. Kaufmann. Hannover 1817.

## *Theses defendendae.*

1. Diversorum pharmacorum unione novum, distinctae a constituentibus qualitatis, oritur remedium.
2. Ad exactam morborum, praesertim acutorum, diagnosin ac curam, sedula constitutionis epidemicae consideratio summi momenti.
3. Nulla methodus, cataractam operandi, superflua est.
4. Hominis oculus, organisationis vitae ac morborum speculus.
5. Medicus ipse potens saepe remedium.
6. Nullibi saepius, quam in arte obstetricia, methodi exspectativae utilitas cernitur.
7. Inter regnum animale et vegetabile certa demarcationis signa desiderantur.
8. Ubi unica via salutis, ea, licet periculosa est tentanda.
9. Quemadmodum inter virus syphilitico-phagedenicum et syphilitico-medeorrhoicum, ita etiam inter eorum effectus, tam primarios, quam secundarios, essentialis viget differentia.
10. Topica sanguinis congestio in utero, et symphoreticus quidam status in verendis partibus foemineis, proximam catameniorum causam constituunt.
11. Ex pulsu unico nunquam sufficiens ad venaesectionem indicatio.
12. Contra virus syphiliticum praeter abstinentiam nulla datur certa prophylaxis.
13. Mater sana proli ubera praebens nec venustatis, nec sanitatis quidquam perdit.

14. Prognosis, quam veritas format, ab illa, quam prudentia suadet, saepe toto coelo differt.
15. Medicus rationalis in nullum confidat systema qua absolutum, sed quae in singulis bona et vera inveniet, in proprium sibi conformat.
16. Medici auctoritas optimum remedii corrigens.
17. Medicaminis effectus aequalis est producto ex hujus actione et organismi, quocum conflictum init, reactione.
18. Quantum litterarum disciplina menti prodesse, tantum corpori obesse potest.
19. Practicum botanices studium contra hypochondriasin materialem efficacissimum sistit remedium.
20. Nocturnas vigilias somno diurno nemo resarcit.
21. Matrimonium inter individua, aetatis valde differentis, scopo ejus repugnat.
22. Medicus, humanitate et benevolentia carens, medici nomine est indignus.
23. Febris certorum morborum umbra potius, quam ipse morbus est.
24. Clarissimus Mohs crystallorum combinationes, quas primus docuit, non invenit, sed detexit.